Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

thesauri sapientie et scientie absconditi. redemit me
sanguine suo. non calumnientur mihi superbi. quoniam cogito
precium meum. et manduco. et bibo. et erogo. et pauper
cupio saturari ex eo. inter illos qui edunt et saturantur.
et laudant dominum qui requirunt eum. INCIP. L. LIBER.

NUMQUID DOMINE CUM TUA XI. AUG. E.
sit eternitas. ignoras que tibi dico. aut per
tempus vides. quod fit in tempore. Cur ergo tibi
tot rerum narraciones digero. Non utique ut
per me noveris ea. sed affectum meum excito in
te. et eorum qui hec legunt ut dicamus omnes. mag
nus dominus et laudabilis valde. Iam dixi et dicam. amore amo
ris tui et facio illud. Nam et oramus. et tamen veritas ait.
Novit pater vester quid vobis opus sit. priusquam petatis ab eo.
Affectum ergo nostrum pate facimus inter confitendo tibi miserias
nostras. et misericordias tuas super nos. ut liberes nos omnino quoniam
cepisti. ut desinamus esse miseri in nobis. et beatificemur in te. quoniam
vocasti nos ut simus pauperes spiritu. et mites. et lugentes.
et esurientes. ac sicientes iusticiam. et misericordes. et mun
di corde et pacifici. Ecce narravi tibi multa que potui
et que volui. quoniam tu prior voluisti ut confiterer tibi domino
deo meo quoniam bonus es. quoniam in seculum misericordia tua. Quando
autem sufficio lingua calami enuntiare omnia hortamenta
tua et omnes terrores tuos et consolationes et gubernatio
nes. quibus me perduxisti predicare verbum et sacramentum
tuum. dispensare populo tuo. et sufficio hec enuntiare ex
ordine. caro mihi valent stille temporum. et oli mardesco
meditari legem tuam et meam tibi confiteri inscientiam et im
periciam meam. primordia illuminationis tue et re